

puplicus eiusdem terre notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati presenti scripto. puplico. notumfacimus et testamur. quod predicto die providi honesti et prudenti viri frater nicolaus de paganico ordinis fratrum predicatorum et angelus de orton de predicta terra Manfridonie Epitropi et executores Testamenti seu ultime voluntatis qd. domini pauli de Mileto militis de predicta terra Manfridonie ostenderunt nobis presente ibidem fratre philippo de Ioa eiusdem ordinis fratrum predicatorum, una cum fratre luca de Monopulo eiusdem ordinis procuratore Monasterii sancte lucie de Barolo de cuius procuracione nobis predictis Iudice notario et testibus subscriptis constitit per puplicum instrumentum procuracionis ipsius Testamentum seu ultimam voluntatem predicti quondam domini pauli. quod quidem Testamentum seu ultimam voluntatem nos predicti iudex notarius et testes subscripti vidimus legimus et inspeximus diligenter Inter alia contineri vidimus Capitulum unum tenoris et continentie subsequentis. Item domos meas quas habeo in Manfridonia in platea ipsius lego In perpetuum Monasterio et conventui sancte Lucie de Barolo tali conditione videlicet ut conventus ipsius Ecclesie de proventibus et redditibus omnibus domorum ipsarum percipiat annuatim unum tantummodo agustale et Residuum proventuum seu residuum omnium domorum ipsarum teneatur ipse conventus annis singulis percipere integraliter et fideliter dare et assignare priori et conventui Sancte Marie Madalene de Manfridonia pro vestibus fratrum ipsius conventus et missis in eadem Ecclesia Celebrandis cotidie pro anima uxoris mee et mea. Cuius quidem Capituli auctoritate predicti fratres Nicolaus et angelus de orton Epitropi et executores predicti Testamenti eiusdem philippum philippum (*sic*) de Ioa procuratorio nomine quo supra *etc.* Unde ad futuram memoriam *etc.* Que scripsi Ego predictus Benedictus, puplicus. Manfridonie notarius qui predictis rogatus interfui et signo consueto signavi. Fines vero predictarum domorum sunt hii videlicet. a primo latere ex parte orientis est iuxta domus domini Galgani. a secundo latere ex parte meridiei est iuxta domum filiorum et heredum qd. Iacobi Lapi. a tertio latere ex parte occidentis est transenda puplica ipsius terre que dicitur nanza Buczarie. a quarto vero et ultimo latere ex parte septemptrionis est Ruga. puplica. ipsius terre Manfridonie coniungens se ad priorem fines. (*Segno*).

† Iohannes niger q. s. Iudex. (*Segno*).

† Ego marcuzu (*sic*) capunni testi (*sic*) sum.

† Ego filippo (*sic*) bentacorda testi (*sic*) sum.

† Ego farinata franceschini zanza testi (*sic*) sum.

† Ego angelus spicialis testis sum.

† Ego Magister Rainerius de Mileto testis sum.

† Ego Pascali de Sancto Magno de salerno t. s.

Notitia testium:

Marcucius Capuanus. Philippus bonaccorda. lillus speciarius. magister Rainerius. Iudex anselmus de melfia